An. et vol. XXXXI 6 Septembris 1949 (Ser. II, v. XVI) - N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Decretales, p. 385 - Constitutiones Apostolicae, p. 397 - Litterae Apostolicae, p. 406 - Epistulae, p. 410 - Allocutiones, p. 415 - Nuntius radiophonicus, p. 424.

Acta SS. Congregationum: *S. S. C. S. Officii*: I. Dubium, p. 427; II. Declaratio, p. 427 - *S. C. Consistorialis*: Decretum, p. 428 - *S. C. de Propaganda Fide*: Decretum, p. 429.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne - Segreteria di Stato: Nomine, pp. 430-432.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XLIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 seu $ 4
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 seu $ 0,35

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXI, n. 10 - 6 Septembris 1949)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

PAG.

Deus humilium. - Beatae Catharinae Labouré, virgini, e Societate Puellarum Caritatis S. Vincentii a Paulo, sanctorum honores decernuntur. - 27 Iulii 1947 385

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. *Chicagiensis-Peoriensis-Rockfordiensis* (Joliettensis in Illinois). - A dioecesibus Chicagiensi, Peoriensi et Rockfordiensi territorii pars avellitur, quae in novam erigitur dioecesim « Joliettensem in Illinois » nuncupandam. - 11 Decembris 1948 . . 397

II. *Manilensis* (Sancti Ferdinandi). - Ab archidioecesis Manilensis territorio pars seiungitur, quae in novam erigitur dioecesim, « Sancti Ferdinandi » nuncupandam. - 11 Decembris 1948 400

III. *Santaremensis* (Macapensis). - A Praelatura « nullius » Santaremensi pars seiungitur, quae in novam erigitur Praelaturam « nullius », Macapensem nuncupandam. - 1 Februarii 1949 402

IV. *De Bahr-el-Gazal, de Bahr-el-Gebel* (Mopoiensis). - A Vicariatu Apostolico de Bahr-el-Gazal et a Praefectura Apostolica de Bahr-el-Gebel territorii pars seiungitur, quam in novam erigitur Praefecturam Apostolicam sub nomine Mopoiensem. - 3 Martii 1949 405

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *In pervetusta Aliphana.* - Ecclesia paroecialis et collegialis Sanctae Mariae Maioris in oppido « Piedimonte d'Alife » in Aliphana dioecesi Basilicae minoris dignitate insignitur. - 14 Decembris 1945 406

II. *Duplicem Divo.* - Sanctus Bernardinus Realino, confessor, Lyciensis civitatis Patronus caelestis aeque principalis constituitur. - 15 Decembris 1947 408

EPISTULAE

I. *Saepe iam declaravimus.* - Ad Emum P. D. Eugenium, Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, S. R. E. Cardinalem Tisserant, a Secretis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali, quem Legatum mittit ad Conventum Nationalem Eucharisticum e tota Gallia in urbe Nanceiensi celebrandum. - 6 Iunii 1949 410

II. *Gemina Benedictini Ordinis.* - Ad Excmum P. D. Lucianum Lebrun, Episcopum Augustodunensem, Cabillonensem et Matisconensem, ob saecularia sollemnia ab obitu Sancti Odonis ac Sancti Odilonis, Cluniacensis Coenobii Antistitum, celebranda. - 6 Iunii 1949 411

III. *Anneciensis dioecesis.* - Ad Emum P. D. Fridericum tit. Sanctae Mariae de Victoria S. R. E. Presbyterum Cardinalem Tedeschini, Patriarchalis Basilicae Vaticanae Archipresbyterum, Sacri Consilii Petrianae Fabricae adservandae Praefectum eumdemque Apostolicum Datarium, consecrationi Anneciensis Templi a Visitatione adfuturum. - 29 Iunii 1949 414

ALLOCUTIONES

I. Ad mulieres ab Actione catholica ex Italiae dioecesibus ob quadragesimum annum ab eorum Unione condita Romae coadunatas. - 24 Iulii 1949 415

II. Ad novum Peruviae Legatum. - 17 Augusti 1949 422

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus Berolinensis dioecesis. - 17 Iulii 1949 424

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

I. Dubium. De celebratione matrimonii inter acatholicos. - 30 Iunii 1949 . 427

II. Declaratio. De communistarum matrimonii celebratione. - 11 Augusti 1949 427

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Tricaricensis et Anglonensis-Tursiensis. - Decretum. De mutatione finium dioecesium. - 14 Maii 1949 428

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

De Urubamba et Matre Dei (Portus Maldonadi). - Decretum. Vicariatus Apostolicus de Urubamba et Matre Dei deinceps « Portus Maldonadi » appellabitur. - 10 Martii 1949 429

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Udienza solenne 430

Segreteria di Stato: *Nomine* 430

An. et vol. XXXXI 6 Septembris 1949 (Ser. II, v. XVI) – N. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATAE CATHARINAE LABOURÉ, VIRGINI, E SOCIETATE PUELLARUM CARITATIS S. VINCENTII A PAULO, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Deus humilium celsitudo, *qui ponit humiles in sublime* (Iob V, 11), suum in primis Unigenitum Filium, *qui semetipsum exinanivit,* servilem formam, obumbrata maiestatis suae dignitate, suscipiens, *exaltavit... et donavit illi nomen quod est super omne nomen;* Deus, qui Immaculatae Mariae Virginis humilitatem respexit et eam Deiparam effecit hominumque matrem ac reginam caelorum et dominam Angelorum; qui innumeros viros ac mulieres, in saeculorum decursu, per humilitatem christianae perfectionis apicem adeptos, caelesti gloria sublimavit; ad supremos hodie per Nos, Divino afflante Spiritu, sanctitudinis extulit honores humillimam famulam suam Catharinam Labouré, Societatis Puellarum Caritatis S. Vincentii a Paulo alumnam, quae, toto suae mortalis vitae tempore, fodiens in se fundamentum humilitatis, iuxta divi Augustini sententiam, pervenit ad fastigium caritatis, et, licet miris a Divino suo Sponso et ab Immaculata Virgine Maria charismatibus donata, usque ad mortem vere abscondita cum Christo in Deo permanere, nesciri ac pro nihilo haberi maluit, et ita in humilitatis et caritatis exemplum praeluxit ut ad caelestem beatitatem meruerit ascendere.

Haec sancta virgo honestis est orta natalibus die secunda Maii men-

sis, anno millesimo octingentesimo sexto, in *Fain-les-Moutiers* dioecesis Divionensis oppidulo, undecim inter liberos nona, a parentibus Petro Labouré et Magdalena Gaudard, morum integritate et religione praestantibus, qui eam insequenti die baptismalibus aquis abluendam curarunt eique Catharinae nomen indiderunt; blandulo tamen nomine *Zoe* passim apud suos appellabatur. Iam puerula primis fidei et christianarum virtutum rudimentis, ope praesertim matris, imbuta est et indolis suavitate morumque candore eluxit; sed dilectae genetricis incoepta institutione diu frui non potuit; illa namque vix novennis matre orbata est; et tunc, ante B. Mariae Virginis simulacrum genibus provoluta, caelestis huius tantae Matris filiam se devovit. Hinc una cum sorore natu minore apud amitam, quae solida virtute ac pietate praedita erat, a patre in vicino S. Remigii pago collocata est: haud diu tamen ibi remansit; biennio enim elapso, in paternam domum revocata est ut domesticis curis, sorore natu maiore moderante, addisceretur et familiae gubernio brevi praeesse valeret, cum haec Deo se vovere maxime cuperet. Ita rei familiaris curas suscepit, nullis parcens laboribus et durioribus aliquando vacans operibus; simulque pietatis exercitiis et christiani religionis implendis officiis tam assidue incumbebat, ut iam tunc Marthae et Mariae viam aggressura visa sit. Duodecim annos nata ad Eucharisticas Dapes primum accessit maximo cum fervore, et inde maioris pietatis sensibus et intima animi cum Deo unione se praebuit exornatam, ita ut veluti sancta iam tum vulgo aestimaretur. Adhuc adolescens de vitae eligendo statu sollicita, in aliquam religiosam familiam adscisci exoptabat, et, humanis nuptiis, etsi non semel requisita, spretis, et patris renuentis difficultatibus tandem feliciter superatis, in somniis, uti fertur, admonita a quodam venerando presbytero, cuius imaginem postea S. Vincentii a Paulo agnovit, huius sanctissimi viri institutum, Puellarum scilicet Charitatis societatem, amplecti constituit, ut pauperibus, aegrotis ac senibus suam adiutricem operam daret. Itaque vicesima prima aprilis mensis die, anno millesimo octingentesimo trigesimo, canonici *postulatus* quem vocant tempore in pago *Châtillon-sur-Seine* penes Sorores Societatis Puellarum Caritatis rite expleto, Lutetiam Parisiorum venit ut tirocinium in principe Societatis domo, quae Puellarum *Seminarium* appellabatur, inciperet; ibique religiosae probationis suae tempus magno animi fervore pientissime transegit, suae conscientiae moderatore Ioanne Maria Aladel, Congregationis Missionis Presbytero, magna prudentia et vitae integritate conspicuo. Huius tirocinii temporis fuerunt mirae apparitiones seu visiones, quibus Catharina, uti traditum est, recreata fuit: quas inter celeberrima recolitur

B. Mariae Virginis Immaculatae, quae humili ancillae suae conspiciendam se dedit eidemque mandatum fecit sacri nomismatis cudendi, quod in recta facie Deiparae ipsius, virgineo pede serpentis caput proterentis, manibusque extensis subiectum terrae orbem radiis illustrantis imaginem referret, circum circa insculpta verba habentem: *O Maria sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad Te confugimus;* in versa autem facie sanctum Mariae nomen, eminente supra Crucis signo, duobus inferius adiectis cordibus, altero spinis obsito, altero ense transfosso. Biennio post, opera potissimum et studio prudentissimi quem supra memoravimus presbyteri Catharinae Confessarii, Parisiensi Archiepiscopo in primis adprobante, nomisma istud iuxta praeceptam formam cudi coeptum est; eiusque propagatio vere mirabilis fuit, utpote quod saluberrimi sive temporalis sive spiritualis salutis in catholico orbe fructus exinde dimanaverint, et per ipsum Deus innumera usque ab initio miracula et gratias patrare dignatus sit. Aliud quoque a Beatissima Virgine Immaculata Catharinae datum est mandatum, institutio scilicet et propagatio Societatum Filiarum Mariae, quae, studio praecipue et opera Ioannis Mariae Aladel primum apud Filiarum Caritatis domos institutae, a sa. mem. Pio Papa Nono, Praedecesore Nostro, Apostolicis Litteris die duodecima Iunii mensis, anno millesimo octingentesimo quadragesimo septimo datis, canonice erectae et iisdem indulgentiis ditatae fuerunt ac ceterae Marianae Consociationes, exinde in fere omnibus orbis catholici paroeciis constitutae sunt et plura nunc centena millia puellarum coalescunt, quae ad solidam pietatem et cordis puritatem sub Immaculatae Mariae Virginis praesidio informantur.

Quod autem mirandum sane est in Dei Famula Catharina, tot charismatibus ditata et ad tantum opus a B. V. Maria electa, quanta tunc temporis et usque ad suae mortalis vitae exitum humilitate in Deiparae exequenda mandata enituisse et vere *absconditam cum Christo in Deo* illam permansisse, quippe quae uni sui spiritus moderatori secretum aperuerit, nomenque suum ceteros latere studuerit, usque dum ex obedientia necesse fuerit illud patefacere et apparitionum revelationumque accuratam facere narrationem, sex vix menses ante suum obitum. Expleto summa cum laude tirocinii tempore, Catharina in alteram Puellarum Caritatis domum, cui nomen *d'Enghien*, missa est; ibique variis successive officiis, humilioribus quoque et laboriosis functa est, quae sine questu, hilaris immo, per reliquum suae mortalis vitae decursum summa cum laude obivit.

Sed quae humilitatis profundissimum perfodit fundamentum, ad caritatis pervenit fastigium. Deum namque, qui Caritas est, semper prae

oculis habens, ex toto corde suo, et in tota anima sua et in tota mente sua Eum diligebat; nihil aliud proinde quam Eius voluntatem sequi adamabat, totaque sua vita unus fuit et continuus erga Deum amoris actus. Pergrandis iugiter fuit Catharinae pietas erga Iesum Christum sub eucharisticis velis delitescentem et ad sacram synaxim accedebat devotissime, tamque intenso ardebat amore in Christum Dominum, ut non semel, uti traditur, visibiliter Eum perspicere dignata sit.

Sed qui erga Deum ita caritate ardere suescit, erga et proximum caritate maxime excellere solet, iuxta illud S. Laurentii Iustiniani: *Amor Dei amorem proximi generat, et amorem proximi calefacit amor Dei. Tunc enim ad summam perfectionem caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se mirabiliter attrahit, et quo benignius descendit ad ima, eo perfectius recurrit ad summa.* Et vere ad ima sidisse Catharinae caritas visa est, quae, sui legiferi Patris Vincentii a Paulo iam a pueris caritatem imitari satagens, pauperes praecipue et infirmos, senes potissimum in hospitio receptos, tanta humanitate et patientia, tanta sollicitudine erga infirmos ex hac vita migraturos, ut omnes eius curae creditos pie sancteque obiisse traditum sit. Ad religiosa vota profitenda Dei Famula kalendis Maiis, anno millesimo octingentesimo trigesimo quinto admissa fuit, iisque et sui Instituti regulis tanta animi submissione satisfecit, ut a sodalibus *vivens regula* appellaretur. A quo constanti fidelique religiosarum virtutum exercitio nunquam defecisse traditur aut paulisper de pristino remisisse fervore, sancte vitam agens interiorem atque semper in Deo absconditam, nihil aliud antiquius, nihil iucundius habens quam Beatae Mariae Virginis Immaculatae cultum, huiusque Sacri nomismatis propagationem usque ad obitum totis fovere viribus, ab humanis laudibus semper abhorrens, Dei unius gloriam et laudem inquirens, qui solus fidelis est testis, iudex et remunerator operum.

Tandem Dei Famula, annos agens septuaginta, laboribus morbisque debilitata et fracta, proximum e vita discessum, superno lumine illustrata, praedixisse fertur, et novembri mense anni millesimi octingentesimi septuagesimi sexti, ab actuosa prosequenda vita abstinere coacta est eiusque vires ita gradatim infirmae evaserunt ut postremo anni illius die, spiritualibus munita subsidiis, nullum mortis tormentum sentiens; *sed laeta, sed hilaris; ac Deo Sanctissimaeque Virginis patrocinio omnino fidens, postquam prodigiale nomisma extenuatis tremulisque manibus ultimum distribuere potuit circumstantibus, serena atque arridens ad Caelum evolavit.* Corpus autem Dei Famulae, quae sanctitatis famam sibi in vita acquisivit, perplures cuiusque ordinis cives invisuri accesse-

runt; exequiae vero triumphum aequare visae sunt, cum frequens fidelium multitudo non funebria cantica, sed hymnos canebat et preces ad Beatissimam Mariam Virginem, uti invocationem « *O Maria, sine peccato concepta, ora pro nobis, qui ad te confugimus* »; « *Ave, Maris Stella* ». Die vero tertia Ianuarii sequentis anni, parentalibus absolutis, veneratae exuviae ad cryptam delatae fuerunt sacelli domus, quam in *Reuilly* Puellarum Caritatis Societas habebat, eoque in loco, singulari a civitatis rectoribus venia obtenta, humatae sunt, frequentissimo cleri populique devoti concursu, pueris puellisque, pauperibus senibusque plorantibus, qui Dei Famulae praecipue caritatem largiter experti fuerant. Sed ad sepulcrum concursus haud dubie Catharinae sanctitatis famam comprobare videbatur; quae clarior in dies evasit et non Parisiis tantum, sed undique in Gallia et extra diffusa est, gratiis potissimum, eius invocato patrocinio, mirabiliter obtentis.

Quapropter in archipiscopali Parisiensi curia Processibus ordinariis super vita, fama sanctitatis, virtutum et miraculorum in genere, aliisque super scriptis et super liturgico cultu eidem Dei Famulae non exhibito constructis, a sa. mem. Pio Decimo, Decessore Nostro, die duodecima Decembris mensis, anno millesimo nongentesimo septimo, Commissio Introductionis Causae sua ipsius manu signata fuit. Approbata dein fuerunt scripta et decretum editum super *non cultu*. Confecti sunt processus ex apostolica auctoritate, quibus rite probatis, anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo et insequentibus, sueta habita sunt comitia, quae antepraeparatoria et praeparatoria vocantur; quibus peractis, tandem die septima Iulii mensis anno millesimo nongentesimo trigesimo primo coram fel. rec. Pio Papa Undecimo, Causae Relatore et Ponente dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinale Alexandro Verde, omnes qui aderant Cardinales, Praelati et Consultores SS. Rituum Congregationis sua ediderunt suffragia super proposito dubio de virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis a Ven. Dei Famula Catharina Labouré in gradu eroico exercitis. Die vero decima nona Iulii mensis eodem anno praefatus Decessor Noster solemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis Ven. Servae Dei Catharinae Labouré in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Sed et miraculorum gloria humilem hanc verginem Deus illustrare dignatus est. Agitata igitur fuit quaestio de duobus sanationibus, quae veri miraculi praeseferre notas visae sunt, a Deo, Ven. Dei Famula Catharina interveniente, patratis. Confectis itaque uti de more processibus,

rebus omnibus acerrimo iudicio investigatis, atque praehabitis suetis SS. Rituum Praelatorum, Consultorum Patrum et Officialium Congregationis comitiis, anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio, die tertiadecima Februarii mensis, quem supra memoravimus Antecessor Noster, Pius Pp. Undecimus, arcessitis Alexandro S. R. E. Cardinale Verde, Causae Ponente seu Relatore, Camillo S. R. E. Cardinale Laurenti, S. Rituum Congregationis Praefecto, Alfonso Carinci eiusdem Congregationis a Secretis, et Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, sacra devotissime Hostia litata, edixit: Constare de duobus miraculis, Venerabili Catharina Labouré intercedente, a Deo patratis, scilicet: *Instantaneae perfectaeque sanationis tum Marii Zeme a gravissima peritonite, acuta diffusa; tum pueri Ioannis Ribet a gravissimo pottiano morbo cervicali.*

De heroicitate igitur virtutum ac de miraculis prolatis, ut diximus, sententiis, unum tantum dubium discutiendum erat an *tuto* procedi posset ad Ven. Dei Famulae Beatificationem. Quod quidem factum est, sueta servata forma, die vicesima quinta Februarii mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio; qua die, in generali conventu coram eodem Decessore Nostro habito, omnes adstantes Cardinales, Officiales Praelati et Patres Consultores unanimem affirmativam sententiam protulerunt; idem vero Praedecessor Noster ad diem duodecimam Martii mensis suam proferre sententiam distulit, qua solemniter edixit: *Tuto procedi posse ad Venerabilis Catharinae Labouré sollemnem Beatificationem.* Huiusmodi vero sollemnia in Petriana Basilica die vicesima octava Maii mensis, eodem anno, sancto extra ordinem, peracta sunt, *resonante plausu Urbis et Orbis.*

Quum autem Catharinam, Beatorum catalogo ita adscriptam, novis patratis signis, Deus magis exaltare velle videretur, instante sollerti Congregationis Missionis Procuratore et Postulatore generali, Ioseph Scognamillo, vota quoque depromente Societatis Puellarum a Caritate Superiorissae, idem Decessor Noster Pius Papa Undecimus Commissionem Reassumptionis Causae ad Beatae illius Canonizationem obtinendam, sua manu signare dignatus est die septima et vicesima Maii mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo sexto.

Duo itaque quae dicebantur miracula ab omnipotente Deo, per B. Catharinae intercessionem patrata, binae scilicet sanationes, quae veri miraculi characterem habere videbantur, proposita sunt. Prima quidem sanatio Iosephinam Suty, Francisci filiam, viduam Armandi Francisci Goudret respicit. Mulier haec adeo gravi asystolia cum renali insufficientia erat affecta, ut ad extremum vitae limen adducta fuerit, ideoque

extrema ei sacramenta collata fuerunt. Beatae Catharinae intercessione implorata, novendialibus precibus inceptis, infirma a die quintadecima ad vicesimam Iunii mensis anno millesimo nongentesimo trigesimo tertio, ad bonam transiit valetudinem, cum plena cordis sufficientia. Miraculum agnoverunt duo curantes medici, cum quibus quatuor periti ex officio a S. Rituum Congregatione adlecti, plene concordes fuerunt. Altera sanatio ita evenisse narratur: Irenes Iosephina Aloisia Pascal, Eduardi filia, e Societate Puellarum a Caritate S. Vincentii a Paulo, ob graves adhaerentias quadruplici chirurgicae laparatomicae actioni subiecta fuit, at incassum: immo post unamquamque huiusmodi operationem in peiori versabatur condicione, adeo ut medici et chirurgi nullam servandae vitae spem superesse absque haesitatione edixerint, eiusque mortem fere imminentem praesagiverint. Maii mensis die vicesima prima, anno millesimo nongentesimo trigesimo septimo, sexto novendialium precum, quae ad B. Catharinam porrectae erant ut a Deo infirmae sanationis gratia donaretur, nocte incumbente, placido aegrota corripitur somno. Sequenti mane illa se perfecte sanatam sentit, solidum cibum sumit, nullum praegressi morbi vestigium a medico invenitur. Irenes exinde in recuperata valetudine omnino perseverat. Miraculum contigisse non modo curantes medici ceterique testes, sed etiam periti a S. Rituum Congregatione electi agnoverunt. Constructi sunt super duabus istis miris sanationibus processus ac servato iuris ordine, acerrimis de utraque sanatione disceptationibus, uti de more, praehabitis, tandem coram Nobis, die nona Aprilis, superiore anno, circa positum dubium an et de quibus miraculis, post indultam Beatae Catharinae Labouré ab Apostolica Sede venerationem, illa intercedente, a Deo patratis, constaret, suum quisque qui aderat suffragium protulit; Nos vero, ut maiori luce, ingeminatis precibus, a Deo Nostra mens illustraretur, a Nostra ferenda sententia ad vicesimam sextam mensis insequentis diem distulimus, in qua, ad Nos advocatis Cardinalibus Causae Ponente et S. Rituum Congregationis Praefecto, atque eiusdem S. Congregationis a Secretis et Fidei Promotore generali, solemniter ediximus: *Constare de instantanea perfectaque sanatione cum Iosephinae Goudret a gravissima insufficientia cardiaca (asystolia) cum insufficientia renali, tum Sororis Irenis Pascal a gravissima syndrome adhaerentiali.*

Unum denique supererat inquirendum utrum, stante praefata miraculorum approbatione, *tuto* procedi posset ad eiusdem Beatae solemnem Canonizationem. Quod quidem factum est in Sacrae Rituum Congregationis conventu, coram Nobis habito die undevicesima Novembris mensis, superiore anno; in quo omnes et singuli adstantes suam Nobis af-

firmativam sententiam protulerunt. Nos vero, ad divinum lumen implorandum, Nostram distulimus proferre sententiam ad diem Immaculatae Mariae Virginis Conceptioni sacrum, pro cuius gloria, vel ante huius dogmatis definitionem, B. Catharina quam plurimum adlaboravit. Die itaque octava Decembris ad Nos arcessiri iussimus venerabiles Fratres Nostros Cardinales Carolum Salotti, S. Rituum Congregationis Praefectum, Alexandrum Verde, Causae Ponentem, venerabilem Fratrem Alfonsum Carinci, Archiepiscopum Seleuciensem eiusdem S. Congregationis a Secretis, et dilectum Filium Salvatorem Natucci, S. Fidei Promotorem generalem, atque, sacrosancto Missae sacrificio litato, solemniter ediximus: *Tuto procedi posse ad B. Catharinae Labouré sollemnem Canonizationem.*

Ut vero in tanti momenti re venerandus servaretur ordo, a Pontificibus Decessoribus Nostris constitutus, vertente hoc anno ad decimam diem Martii mensis, apud Nos in Consistorium secretum S. R. E. Cardinales arcessivimus, eorum sententiam rogaturi. In quo venerabilis Frater Noster Carolus Salotti, S. Congregationis Rituum Praefectus, disertum sermonem habuit de vita, gestis et miraculis Beatorum Iosephi Cafasso, Ludovici Mariae Grignion de Montfort, Michaëlis Garicoïts, Nicolai de Flüe et Beatae Catharinae Labouré, et singillatim acta recensuit, quae in eorum Causis Beatificationis et Canonizationis S. Rituum Congregatio, praevio districto examine, admisit et adprobavit; qua relatione expleta, Nos adstantium Patrum Cardinalium singulorum exquisivimus votum, quod unusquisque stans apertoque capite reddidit. Quo Sacro Consistorio peracto, mox Consistorium publicum habuimus pro solemni eorumdem Beatorum Canonizationis peroratione; quam pro Beata Catharina Labouré dilectus Filius Camillus Corsanego, Aulae Consistorialis Advocatus, ornato sermone peregit, Nobisque enixas una cum ceteris Aulae Consistorialis Advocatis preces obtulit ut ad optatas Canonizationes quam citius deveniremus. Nos vero, etsi valde avere diximus oblatis petitionibus et votis concedere, tamen, ut omnia translaticio more agerentur, non ante Nostram laturos inquimus fallentem numquam sententiam, quam in Consistorio, quod *semipublicum* dicitur, omnes Patres Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, qui Romae adfuturi sint, suam quisque Nobis mentem patefecerint; interea adstantes omnes adhortati sumus preces ad Deum Patrem luminum admovere, ut uberius Nobis ad gravissimam hanc causam decernendam lumen e supernis sedibus impetrarent. Commentarios interim de uniuscuiusque illorum Beatorum vita, gestis et miraculis, atque de actis in ipsorum Causis ad quemque praefatorum Cardinalium et Antistitum transmitti

iussimus, quo facilius cuique res explorata ac cognita esse posset, antequam suam quisque liberam Nobis sententiam religiose aperiret.

Consistorium autem quod diximus *semipublicum* in Palatii Apostolici Vaticani consueta aula habitum est die decima septima Aprilis proxime elapsi mensis: in quo venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales iterum et omnes adstantes Sacrorum Antistites primum allocuti sumus; singulorum dein eorum sententiam exquisivimus, et admodum gratulati sumus omnes Nobiscum consentire Beatis illis supremos sanctitudinis honores, per inerrantem sententiam Nostram, Sancto Divino afflante Spiritu, decernendos esse. Quare deliberatum Nobis esse inquimus solemnes Canonizationis ritus in Vaticanae Basilicae maiestate proximis peragere mensibus; et singulis caeremoniis tempus praestituere placuit: Beatae igitur Catharinae Labouré hanc diem, vigesimam septimam nempe Iulii mensis, adspirante iuvanteque Numine, Sanctorum Caelitum coronam decernere statuimus. Omnes interim adstantes Venerabiles Fratres enixe rogavimus ut suas Nostris coniungere preces dignarentur, ut quae iam nunc praestolabamur, fausta ac salutaria catholico nomini evenirent. De quibus omnibus ut iuridica acta conficerent, dilectis Filiis qui aderant Protonotariis Apostolicis mandavimus.

Adveniente itaque praestituta hacce die, Nos, cunctis saecularis et regularis cleri ordinibus, plurimis Romanae Curiae Praelatis et Officialibus, Sacrorum Antistitibus et Patribus Cardinalibus, solemni supplicationis ritu praeeuntibus, Patriarchalem Basilicam Nostram S. Petri, magnificentissimo ornatam apparatu innumerisque resplendentem lycnis atque maxima fidelium multitudine stipatam, quos inter plurimi Congregationis Missionis sodales, plurimae e Societate Puellarum a Caritate S. Vincentii a Paulo una cum innumeris puellis Piis Congregationibus Marialibus et Actioni Catholicae, e catholica Gallia quoque aliisque regionibus, adscriptis, Nos ipsi, solemni pompa, ingressi sumus. Mox, brevi ante altare maximum effusa prece, ad Cathedram Nostram perreximus ibique sedimus. Porro, praestita Nobis ab adstantibus Patribus Cardinalibus obedientia, solemnis Canonizationis ritus inchoatus est. Venerabilis itaque Frater Noster Carolus S. R. E. Cardinalis Salotti, Episcopus Praenestinus, Sacrae Congregationis Rituum Praefectus et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Camillo Corsanego, Consistorialis Aulae Advocato, instanter, instantius et instantissime postulavit ut Nos per inerrans oraculum Nostrum, Sacro afflante Numine, Beatam Catharinam Labouré Virginem, Societatis Puellarum a Caritate S. Vincentii a Paulo sodalem, in Sanctorum album referre dignaremur. Nos vero, tanti negotii conscii, ad

hoc pervenire noluimus, nisi prius ab universis adstantibus ad Sanctum Divinum Paracletum fervidas admoverentur preces, ut ab Eo menti Nostrae maior affulgeret supernae lucis copia.

Quod quidem a Nobis et universo Clero et populo qui aderat pientissime peractum est. Tum, omnibus stantibus, Nos vero in Cathedra sedentes, Iesu Christi in terris Vicarius et supremus catholicae Ecclesiae Magister, sic solemniter pronunciavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe existentium consilio, Beatam Catharinam Labouré, virginem, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno, die eius natali, nempe trigesima prima decembris, pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

Qua pronunciata Canonizationis formula, precibus annuentes, a praefato Cardinale Carolo Salotti, per memoratum Aulae Consistorialis Advocatum Nobis porrectis, has Decretales sub plumbo Litteras confici expedirique; adstantibus autem Protonotariis Apostolicis ut de hac solemni Canonizatione publicum conficiant instrumentum mandavimus.

Omnipotenti Deo mox fervidas pro tanto beneficio gratias egimus una cum confertissimo clero et populo, hymnum *Te Deum* concinentes, atque novensilis Sanctae patrocinio invocato, Nos homilia adstantes allocuti sumus, in qua humillimae Dei Famulae ad supremos Caelitum honores evectae capitulatim vitam et gesta referentes, notare Nobis peculiariter placuit esse *utique summa admiratione dignum almam Dei Matrem cernere se humili puellae, ut traditur, conspiciendam dare, cum eadem arcanis colloqui verbis, ac prodigiale, ante eius oculos radians, ostendere nomisma, quod omni ope ac non sine uberrimo caelestium gratiarum imbre propagari debeat. At maiore etiam Nobis admiratione videntur*, inquimus, *digna Vincentianae huius virginis virtutum ornamenta, quibus, dum vixit, suis sodalibus in exemplum praeluxit, et quibus hodie in Sanctarum Caelitum choris quasi gemmata renidet... Multa profecto sunt*, adiunximus, *quae nobis, si terrestrem Sanctae huius Caelitis incolatum intento studiosoque animo meditamur, salutariter imitanda proponuntur, attamen id primum esto: nemini nempe, qui almam Dei Matrem sincera pietate recolat, eiusque sanctissimis vestigiis insistere pro facultate*

enitatur, eius validam defuturam esse tutelam, vel praesentissimum defuturum auxilium, Sancta igitur Catharina Labouré exemplo suo ad incensam actuosamque eiusmodi pietatem Nos adhortatur omnes; huius quidem adhortationi si volenter operoseque respondebimus, facilius profecto pandetur Nobis ad virtutem iter, facilior atque expeditior ad caelestem beatitatem Nobis erit ascensus. Amen.

Post hanc a Nobis prolatam homiliam benedictionem apostolicam et plenariam peccatorum indulgentiam adstantibus omnibus peramanter impertivimus et pontificale Sacrum deinde litavimus. Quibus itaque solemnibus caeremoniis Beatae Catharinae Labouré Canonizationis ritus felicem habuit exitum.

Omnibus ergo quae inspicienda erant bene perpensis, certa scientia atque de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine universa et singula quae in his Decretalibus Litteris uti supra memoravimus, iterum confirmamus, roboramus, statuimus, decernimus universaeque Ecclesiae denunciamus. Volumus insuper ut earumdem Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus habeatur fides, quae hisce praesentibus haberetur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Si quis vero Decretales easdem Litteras Nostras definitionis, decreti, adscriptionis, mandati, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel eis ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die vicesima septima Iulii mensis, Pontificatus Nostri anno nono.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus

✠ Ego Franciscus Episcopus Ostiensis et Tusculanus Cardinalis Marchetti Selvaggiani, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Portuensis et Sanctae Rufinae Cardinalis TISSERANT.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI-MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

Ego ALEXANDER tituli S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego ALOISIUS tituli S. Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis LAVITRANO.

Ego PETRUS tituli S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego FRIDERICUS tituli S. Mariae de Victoria Presbyter Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego FRANCISCUS tituli S. Caeciliae Presbyter Cardinalis MARMAGGI.

Ego DOMINICUS tituli S. Apollinaris Presbyter Cardinalis JORIO.

Ego MAXIMUS tituli S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario
F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
Decanus S. Collegii.

C. Card. MICARA
S. Rituum Congr. Praefectus.

Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

Georgius Stara Tedde, *Canc. Apost. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die decimanona Iulii anno undecimo
Alfridus Marini, *Plumbator.*

A. Marini, *Scriptor Apostolicus.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIV, n. 28. – Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CHICAGIENSIS - PEORIENSIS - ROCKFORDIENSIS (JOLIETTENSIS IN ILLINOIS)

A DIOECESIBUS CHICAGIENSI, PEORIENSI ET ROCKFORDIENSI TERRITORII PARS AVELLITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM « JOLIETTENSEM IN ILLINOIS » NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ecclesiarum circumscriptiones maxime interest ita ordinari et constitui, ut ipsae christifidelium necessitatibus maiorique eorum spirituali bono, pro locorum adiunctis, apprime respondeant. Novae hinc ex avulso ab amplioribus dioecesibus territorio cathedrales Ecclesiae eriguntur, aliorum vigilantium Pastorum curis et regimini tradendae. Quod quidem munus soli Romano Pontifici spectare dignoscitur, pro supremo ipsi divinitus commisso pastorali officio, quo universo christiano orbi praesidet. Cum itaque dilectus Filius Hamletus Ioannes Cicognani, Archiepiscopus titularis Laodicensis in Phrygia et in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatus Apostolicus, habito favorabili voto venerabilium Fratrum Nostrorum Samuel Alfonsi, S. R. E. Cardinalis Stritch, Archiepiscopi Chicagiensis, Ioseph Enrici Schlarman, Episcopi Peoriensis, et Ioannis J. Boylan, Episcopi Rockfordiensis, ab hac Apostolica Sede postulaverit ut nonnullae partes territorii spectantis ad Ecclesias Chicagiensem, Peoriensem et Rockfordiensem dismembrentur et nova exinde constituatur dioecesis, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum consilio, re mature perpensa ac certa scientia, oblatis precibus libenter annuere statuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, aliorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ab archidioecesi Chicagiensi territorium separamus complectens civiles comitatus *Du Page, Will, Kankakee* et *Gundy;* a dioecesi vero Peoriensi dismembramus territorium ad civiles comitatus spectans *Ford* et *Iraquois;* a dioecesi demum Rockfordiensi territorium civilis comitatus *Kendall* disiungimus. Totum ita avulsum territorium in novam erigimus et constituimus dioe-

cesim, quam *Joliettensem in Illinois* nuncupari decernimus, complectentem proinde comitatus *Du Page, Will, Kankakee, Gundy, Ford, Iraquois* et *Kendall,* a praefatis dioecesibus uti supra seiunctos. Novae huius ita erectae dioecesis sedem episcopalem in urbe vulgo *Joliet, Illinois,* a qua ipsa dioecesis nomen mutuatur, constituimus; templum vero Deo in honorem S. Raimundi Nonnati dicatum, ibidem exstans, ad Ecclesiae Cathedralis gradum et dignitatem evehimus; cui idcirco et pro tempore Episcopis Joliettensibus in Illinois omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia, quibus ceterae episcopales Ecclesiae earumque Praesules iure communi gaudent, eosque pariter omnibus adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Novam porro hanc dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Chicagiensi eiusque Episcopos metropolitico subiicimus iuri Archiepiscopi Chicagiensis. Praeterea usque dum Capitulum Cathedrale in hac quoque dioecesi constitui nequeat, indulgemus ut interim, ad iuris tramitem, Consultores dioecesani pro canonicis eligantur et adhibeantur. Quod vero ad dioecesis regimen, administrationem, Seminarii erectionem, ad Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera, aliaque huiusmodi attinet, servari iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Mandamus insuper ut documenta omnia et acta, quae novam hanc dioecesim Joliettensem in Illinois respiciunt, a Cancellariis dioecesium Chicagiensis, Peoriensis et Rockfordiensis quamprimum Cancellariae novae dioecesis tradantur, ut in eius archivo diligenter asserventur. Ad quae omnia ut supra disposita et constituta exsecutioni mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Hamletum Ioannem Cicognani, vel eum qui in exsecutionis actu Delegationi Apostolicae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis praesit, deputamus et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem quantocius transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etsi specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, im-

pugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die undecima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

† Alfonsus Carinci, Archiep. Tit. Seleuc., *Dec. Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVI, n. 88. — Al. Trussardi.

II

MANILENSIS
(SANCTI FERDINANDI)

AB ARCHIDIOECESIS MANILENSIS TERRITORIO PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR DIOECESIM, SANCTI FERDINANDI NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Probe noscitur, ad christianae plebis regimini et animarum omnium saluti facilius consulendum, valde prodesse dioeceses, nimio redundantes territorio, quae ab uno vel vigilantissimo Pastore perdifficile regi queant, in partes dividere et novas constituere dioeceses aliis concredendas Praesulibus. Quo moti consilio, libentissime, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis Consistorialibus praepositorum consilio, oblatas Nobis preces excipiendas duximus venerabilis Fratris Gulielmi Piani, Archiepiscopi titularis Nicosiensis et in Insulis Philippinis Delegati Apostolici, qui, audito venerabili Fratre Michaële Iacobo O'Doherty, Archiepiscopo Manilensis Archidioecesis, postulavit ut ab huius archidioecesis territorio pars seiungatur ad novam dioecesim erigendam. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a quam memoravimus Archidioecesis territorio partem illam separamus, quae provincias civiles complectitur vulgo *Bataan* et *Pampanga,* prout nunc limitibus exstant circumscriptae, et provinciarum *Zambales Tarlac* et *Nueva Ecija* partes illas hucusque ad archidioecesim ipsam Manilensem pertinentes; territorium autem ita avulsum in novam erigimus et constituimus dioecesim, cui nomen erit *Sancti Ferdinandi*; et eam suffraganeam subdimus ipsi Manilensi archidioecesi eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subiicimus iuri Archiepiscoporum Manilensium. Novae porro dioecesis sedem episcopalem in urbe *San Fernando,* in provincia *Pampanga,* a qua ipsa dioecesis nomen mutuatur, statuimus; quam proinde urbem ad civitatis episcopalis dignitatem evehimus; Episcopi vero cathedram in templo, Deo in honorem S. Ferdinandi dicato ibidem exstante, figimus; quod proinde ad Cathedralis Ecclesiae gradum extollimus, et illi atque pro tempore Episcopis Sancti Ferdinandi iura omnia tribuimus, honores, insignia,

privilegia, favores et gratias, quibus per orbem ceterae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi fruuntur illosque omnibus oneribus adstringimus et obligationibus, quibus ceteri ligantur. Praeterea ad maiorem Cathedralis huius Ecclesiae decorem et utilitatem decernimus ut Capitulum Cathedrale instituatur, iuxta normas per alias Nostras Litteras edendas; quandiu vero dioecesis canonicorum capitulo carebit, indulgemus ut ad iuris normam pro canonicis dioecesani consultores interim eligantur et adhibeantur. Quod autem attinet ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad Seminarii dioecesani constitutionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod vero ad clerum peculiariter spectat, decernimus ut simul ac hae Litterae Nostrae exsecutionem habuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti in cuius territorio legitime degunt. Volumus tandem ut documenta et acta, novam Sancti Ferdinandi dioecesim eiusque clericos et fideles respicientia, ab archiepiscopali curia Manilensi ad Cancellariam episcopalem Sancti Ferdinandi quam primum fieri poterit tradantur ut in huius archivo diligenter custodiantur. Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsecutioni mandanda eum deputamus qui in eiusdem exsecutionis actu Delegationem Apostolicam in Insulis Philippinis reget, et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, et ipsi onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitu-

tionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur, fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die undecima Decembris mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 4. — Al. Trussardi.

III

SANTAREMENSIS
(MACAPENSIS)

A PRAELATURA « NULLIUS » SANTAREMENSI PARS SEIUNGITUR, QUAE IN NOVAM ERIGITUR PRAELATURAM « NULLIUS », MACAPENSEM NUNCUPANDAM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Unius Apostolicae Sedis est dioeceses dividere, novasque condere, si ad animarum bonum satius procurandum et ad dominici gregis regimen facilius efficiendum id expedire, in Domino, censeatur. Lubenti itaque animo preces excipiendas duximus venerabilis Fratris Caroli Chiarlo,

Archiepiscopi titularis Amideni et in Brasilia Nuntii Apostolici, qui, suffragante venerabili Fratre Anselmo Pietrulla, Episcopo titulari Conanensi et Praelato Ordinario Santaremensi, ab hac Apostolica Sede postulavit ut Praelatura *nullius,* Santaremensis, cum latissimo pateat territorio, et christifideles in ea degentes, negotia religiosa cum Ordinario acturi, in longinquam saepe praelatitiam sedem, non sine gravi incommodo accedere valeant, bipartiatur et nova illic erigatur Praelatura *nullius,* alteri Antistiti concredenda. De venerabilium igitur Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, apostolica suprema Nostra auctoritate, a praefata Praelatura *nullius* Santaremensi *Territorium Foederale autonomum Amapense* seiungimus, quod in novam erigimus et constituimus Praelaturam *nullius* Macapensem nuncupandam. Decernimus insuper ut Praelatura haec Macapensis metropolitanae Ecclesiae Belemensi de Parà sit suffraganea eiusque Praelati metropolitico Archiepiscopi Belemensis de Parà iuri subiiciantur. Sedem autem istius Praelaturae in urbe constituimus *Macapà,* atque Ecclesiam Deo in honorem S. Ioseph dicatam, ibi extantem, ad ecclesiae praelatitiae gradum evehimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus quae ceteris sedibus et praelatitiis ecclesiis in Brasiliana Republica sunt propria. Quae quidem iura et privilegia, una iugiter cum adnexis oneribus et obligationibus, ad iuris tramitem tribuimus novae istius Praelaturae Praelatis Ordinariis pro tempore. Quod vero attinet ad eiusdem Praelaturae regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, rite servari iubemus quae sacri canones praescribunt. — Quod vero clerum peculiariter spectat, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Mandamus denique ut omnia documenta et acta, quae novam hanc Praelaturam respiciunt, ad huius Curiam, in archivo diligenter adservanda, a Curia Santaremensi quamprimum transmittantur. Ad quae omnia ita disposita et constituta exsecutionem mandanda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem Nuntium Apostolicum in Brasiliana Republica vel eum qui in exsecutionis actu eidem Nuntiaturae praeerit, deputamus, eidemque necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus imponimus ad S. Congregationem Consistorialem authenticum peractae exsecutionis actorum exemplar quamprimum transmit-

tendi. Praesentes autem Litteras et in eis contenta quacumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato, defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus. Volumus denique et harum Litterarum transumptis, vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die prima Februarii mensis, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis.

Alfridus Vitali, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 45. — Al. Trussardi.

IV

DE BAHR-EL-GAZAL, DE BAHR-EL-GEBEL (MOPOIENSIS)

A VICARIATU APOSTOLICO DE BAHR-EL-GAZAL ET A PRAEFECTURA APOSTOLICA DE BAHR-EL-GEBEL TERRITORII PARS SEIUNGITUR, QUAM IN NOVAM ERIGITUR PRAEFECTURAM APOSTOLICAM SUB NOMINE MOPOIENSEM.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo Christi Domini regno magis prolatando, in dissitis regionibus nondum evangelica luce penitus conlustratis, consuli possit, Sedes Apostolica novas satagit illic constituere Missiones, ubi quae exstent nimio redundent territorio. Quod quidem nunc Nos exsequendum censuimus intra Sudan Anglo-Aegiptiaci fines, amplissima Vicariatus Apostolici de Bahr-el-Ghazal et Praefecturae Apostolicae de Bahr-el-Gebel territoria dismembrando et novam ibi erigendo Praefecturam Apostolicam. De consilio itaque venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum ac praehabito favorabili voto venerabilis Fratris Davidis Mathew, Archiepiscopi titularis Apameni in Bithynia, Africae Orientalis et Occidentalis Britannicae Delegati Apostolici, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Nos, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a Vicariatu Apostolico de Bahr-el-Ghazal totum districtum civilem, cui nomen *Zande,* et a Praefectura Apostolica de Bahr-el-Gebel totum districtum civilem, cui nomen *Moru,* distrahimus, et territorium ita seiunctum in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, quam « Mopoiensem » nuncupari decernimus et sodalium Congregationis Filiorum S. Cordis Iesu curis, tam impense in praefatis Vicariatu et Praefectura plures iam annos adlaborantium, concredimus, ad Nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum. Novae itaque huic Praefecturae Apostolicae Mopoiensi eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Praefecturae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obliga-

tionibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia ita disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri ecclesiastici in dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris tribueretur, si ipsaemet exhibitae vet ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo nono, die tertia mensis Martii, Pontificatus Nostri anno decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

F. Card. MARCHETTI SELVAGGIANI
S. Collegii Decanus.

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXVII, n. 39. — Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ECCLESIA PAROECIALIS ET COLLEGIALIS SANCTAE MARIAE MAIORIS IN OPPIDO « PIEDIMONTE D'ALIFE » IN ALIPHANA DIOECESI BASILICAE MINORIS DIGNITATE INSIGNITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — In pervetusta Aliphana dioecesi civitas exstat, « Piedimonte d'Alife » hodie vulgo nuncupata, parva quidem, sed nota et clara, quippe cum Aliphanus Episcopus suam Sedem in ea statuerit ex quo urbs illa antiquissima, Alliphae nempe, olim

Romanae coloniae titulo honestata atque cito suscepta Christiana Fide multo magis collustrata, penitus eversa ac diruta fuit. Conditum in ea est Templum, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis dicatum, quod, cum sit omnium Maximum, « Sanctae Mariae Maioris » appellatur. Vertente saeculo XVII exaedificatum, « classico » stylo confectum multisque artis operibus affabre ornatum, ingenti tholo prae ceteris eminet universamque suscitat admirationem. Huc quam plurimi quotannis conveniunt tum Optimates et cives tum peregrini, Sanctorum Reliquias pie veneraturi, potissimumque Sancti Marcellini Presbyteri et Martyris, qui civitatis praecipuus apud Deum Patronus, anno MDCXLV, renuntiatus fuit cuiusque duo insignia Lipsana, caput scilicet et iugulum, in argenteo ditissimoque Simulacro studiose asservantur. Idem insuper Templum « Insigni » Canonicorum Collegio decoratur, qui, praeeunte Parocho, sacra sollemnia rite solliciterque curant animarumque salutem. Quod denique Templum, Episcopalis Cathedrae privilegio auctum, pontificalibus caeremoniis ab Ordinario loci peragendis pro Aliphana Ecclesia Cathedrali saepe adhibitum est: tota ergo fidelium vivendi ratio, tum civilis tum praesertim religiosa, in hoc Maximum Templum confluit in eodemque clarior apparet micatque fulgentior. Quae cum ita sint, tertii expleti saeculi ex quo memoratus Sanctus Marcellinus ipsius civitatis Caelestis Patronus renuntiatus fuit, faustam opportunitatem nactus, Venerabilis Frater Aloysius Noviello, Aliphanus Episcopus, nomine proprio, Canonicorum omniumque Sacerdotum nec non Optimatum universique populi, enixas Nobis deprompsit preces ut memorata Ecclesia Basilicae Minoris titulo ac privilegiis a Nobis benigne honestaretur. Nos autem, iura eiusdem Ecclesiae, ceterarum Matricis, merito agnoscentes, huiusmodi vota excipienda perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Carolo Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Salotti, Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, memoratam Ecclesiam Paroecialem et Collegialem « Sanctae Mariae Maioris » in oppido « Piedimonte d'Alife », intra Aliphanae dioeceseos fines, positam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus ac decoramus, cum omnibus iuribus ac privilegiis rite competentibus. Contraris quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare et permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffra-

gari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Decembris, anno MCMXXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status
IO. BAPT. MONTINI
Sub. Secr. St.

II

SANCTUS BERNARDINUS REALINO, CONFESSOR, LYCIENSIS CIVITATIS PATRONUS CAELESTIS AEQUE PRINCIPALIS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Duplicem Divo Bernardino Realino, ipsique adhuc viventi, decreverunt triumphum Lycienses Optimates ac cives: anno MDLXXIV, ipsius « felici faustoque ingressui » in suam Civitatem; anno quoque MDCXV, quum (mirabile dictu!) eiusdem Civitatis Patronum, rogante ac praeeunte Municipii Moderatore, sollemni ritu elegerunt instantiusque, insequenti anno, ab ipso Dei Servo, morti iam proximo, precibusque vero annuente, caelestem Patronatum denuo petierunt. Quae inter duo temporis momenta quadraginta amplius anni intersunt quos sanctus Societatis Iesu Sodalis tanta pietate tantaque caritate « ad maiorem Dei gloriam » nec non in spiritualem animarum salutem magis in dies adipiscendam liberaliter impendit, ut altera Eius patria, immo et Parens altera amatissima, Lyciensis Civitas iure meritoque haberi potuerit et etiam nunc habenda sit. Quod si Carpii e generosa stirpe ortum traxit ibique prima animi ingeniique institutione imbutus fuit, Lupiis vero, Ignatianam militiam studiose assecutus atque « ut gigas ad currendam sanctitatis viam » sedulo intendens, tutus catholicae doctrinae contra novatores Magister, sollers sui Ordinis Collegii Rector, sapiens ac prudens animarum moderator, nitens virtutum omnium, humilitatis caritatisque praesertim, exemplum, potens denique miraculorum apud Deum sequester mirifice factus est. Cuius virtutibus operibusque peculiaris Lyciensium civium respondit erga Dei Servum reverentia, labentibusque annis atque percrebrescente sanctita-

tis fama, eorum religio impensusque amor. Nil mirum proinde quod Bernardinum tamquam Sanctum, prophetiae ac miraculorum donis a Deo praeditum, ac Patrem patriae atque Advocatum penitus habuerint. Maximam igitur iucunditatem ipsis civibus sacra Eiusdem Canonizationis sollemnia, in Patriarchali Basilica Vaticana, de XXII mensis Iunii anno MCMXLVII, a Nobismet ipsis peracta, et ab iisdem diutissime exoptata, attulerunt. Qua propter Venerabilis Frater Albertus Costa, Lyciensis Episcopus, uterque Clerus, Optimates populusque universus a Nobis enixe efflagitaverunt ut Sanctum Bernardinum Realinum Lyciensis Civitatis alterum Patronum apud Deum declarare benigne dignaremur. Quibus omnibus mature perpensis, huiusmodi votis precibusque annuendum, ut memorata Civitas eiusdem Viri Sancti spirituales caelestis patrocinii fructus magis magisque experiatur, libenti statuimus animo. Praesentium igitur Litterarum tenore perpetuumque in modum, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, Sanctum Bernardinum Realino, Confessorem, Patronum apud Deum aeque principalem Lyciensis Civitatis, omnibus ac singulis liturgicis privilegiis adiectis, quae locorum Patronis rite competunt, eligimus, constituimus ac declaramus. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Decembris, anno MCMXXXVII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

Io. Bapt. Montini
Sub. Secr. St.

EPISTULAE

I

AD EM̃UM P. D. EUGENIUM, EPISCOPUM PORTUENSEM ET SANCTAE RUFINAE, S. R. E. CARDINALEM TISSERANT, A SECRETIS S. CONGREGATIONIS PRO ECCLESIA ORIENTALI, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONVENTUM NATIONALEM EUCHARISTICUM E TOTA GALLIA IN URBE NANCEIENSI CELEBRANDUM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Saepe iam declaravimus, quam salutaria populo christiano evadant virorum studia catholicorum, qui, convenientes in unum, sententiis consiliisque collatis, divinae Eucharistiae honores laudesque fovere atque amplificare contendunt. Quare libenti admodum animo accepimus, Eucharisticum e tota Galliarum natione Congressum ad proximum mensem Iulium, in urbe Nanceiensi, summo studio apparari. Si enim adversae rerum condiciones, ex diuturno asperrimoque bello exortae, sollemnibus eiusmodi graves afferant difficultates, minime vero cleri fideliumque animorum ardorem restinguere potuerunt, immo eundem magis magisque exacuerunt. Auspicato autem continget, ut optata Congressio Eucharistica celebretur post nuper indictum Annum Sacrum, ita ut exstet in Gallica natione praeclarum invitamentum ad illam mentium morumque renovationem, quae est in votis per maximum Iubilaeum perficienda. Opportuno item consilio in proximis coetibus declarabuntur Litterae Encyclicae de sacra Liturgia a Nobis datae, quarum quidem initium « Mediator Dei et hominum ». In iis profecto de Augusto altaris Sacrificio ac Sacramento complura verba fiunt, eaque sane ratione, quae ibidem aperte enuntiatur : « Christianae religionis caput ac veluti centrum Sanctissimae Eucharistiae Mysterium est, quam olim Summus Sacerdos Christus instituit, quamque per suos administros perpetuo in Ecclesia renovari iubet ». Quapropter fusa ac valida argumenta explicabuntur, eademque aptissima ad populi pietatem devotionemque erga divinum Redemptorem excitandam atque inflammandam ; quae quidem virtus est omnino necessaria ad perfectioris vitae institutum ineundum atque servandum. Haec igitur idonea consilia atque incepta merita laude honestantes, proximae celebritati Nanceiensi per Nostrum Legatum, ut iam nuntiavimus, adesse ac praeesse exoptamus. Te itaque, Venerabilis Frater Noster, qui peculiaribus generis caritatisque vinculis cum populo Gallico cumque civitate

ipsa Nanceiensi ab incunabulis devinciris, quique tanta dignitate ac munerum auctoritate in alma hac Urbe praefulges, Legatum Nostrum per has Litteras deligimus ac renuntiamus, ut, Nostram gerens personam, Congressui Eucharistico ex tota Galliarum natione proxime Nanceii cogendo nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Non est autem dubitandum, quin ipse, egregiis quibus polles virtutibus et Romanae purpurae magnificentia, nobilissimo hoc munere sis fauste feliciterque perfuncturus. Situs quoque eiusdem urbis, cum frequentia sacrorum Antistitum fideliumque peregrinorum ex proximis regionibus etiam exteris illuc confluentium, haud parum conferet ad concordiam animorum conciliandam vel firmandam, ad ipsorum populorum pacem redintegrandam. Uberes ergo fructus proximo Congressui laeto animo a Deo adprecantes, in horum auspicium inque praecipuae dilectionis Nostrae pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater Noster, egregio Episcopo Nanceiensi, itemque iis, qui sacris sollemnibus intererunt, paramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VI mensis Iunii, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

II

AD EXCM̃UM P. D. LUCIANUM LEBRUN, EPISCOPUM AUGUSTODUNENSEM, CABILLONENSEM ET MATISCONENSEM, OB SAECULARIA SOLLEMNIA AB OBITU SANCTI ODONIS AC SANCTI ODILONIS, CLUNIACENSIS COENOBII ANTISTITUM, CELEBRANDA.

PIUS PP. XII

Venerabilis frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Gemina Benedictini Ordinis lumina geminasque glorias vos esse celebraturos ex observantissimis litteris didicimus, quas haud ita pridem ad Nos dedisti; ac libet gratulantem Nostram vestris coniungere vocem. Cum postremum adhuc crudesceret bellum, decimum explebatur saeculum, ex quo S. Odo, Cluniacensis Coenobii antistes, ad Superos evolavit; ac facultas vobis non fuit sanctissimum eius obitum, ut in votis erat, digne commemorandi. In praesens autem, cum nongentesimus condatur annus, ex quo S. Odilo, alter eiusdem coenobii decor, ex hoc terrestri exsilio ad patriam adiit aeternam, placet vobis non modo utrumque una simul concelebrare, sed ex eorum quoque renovata memoria exempla sumere, quae

huic etiam aetati nostrae, post tot rerum temporemque vicissitudines, adhuc profecto queunt salutifera fore. Siquidem evangelicae virtutis sanctitatisque splendorem, qui in hisce Cluniacensis Coenobii antistitibus, sicut in duobus aliis eiusdem Coenobii luminibus, Sancto nempe Maiolo ac Sancto Hugone, tam praeclare enituit, nullus annorum cursus evincere, nullus restinguere potest; eiusmodi enim ornamenta animi, cum ex Deo oriantur, eiusque refoveantur gratia, aliquid habent, quod nescit occasum, quodque advenientium etiam saeculorum homines ac populos edocet, hortatur ac permovet.

Dum obscura ac turbida volvebatur aetas, dum vetera civilis humanique cultus documenta quasi universali oblivione obruta erant, dum publica denique ac privata vivendi ratio — catholica religione vel ignorata, vel neglecta — sanctissimis eius praeceptis nimio saepius non obtemperabat, ex reformatis radicitus christianis moribus solummodo spes novi meliorisque aevi cunctis gentibus affulsit. At omnes norunt hoc in necessario opere longe primas habuisse partes illos Benedictini Ordinis sodales, qui in Cluniacense monasteirum congregati, eius Abbatibus ducibus, ab ipso decimi saeculi initio, tam gravi depravatione morum obscurati, tranquilla animi firmitate et constantia, erumpentibus fere undique corruptelis sese apposuere, novaeque vivendi normae, ex Iesu Christi evangelio diligentissime haustae, ut vigerent, forti ac diuturno plus quam centum annos luctamine effecerunt. Sancti illi antistites nullis pepercere laboribus ut suae Congregationis coenobia multiplicarent, et ad priscos Legiferi Patris spiritus rectaque praecepta reducerent. Itaque, eis auctoribus, consiliariis ac ducibus, in tota Gallia, late in Italia in ipsaque urbe Roma, atque in interioribus etiam Germaniae et Hispaniae regionibus, nec non in ipsa Britannia, sacra asceteria vel funditus condita sunt, vel iterum mirandum in modum floruere; atque adeo circum commorantibus populis operositate, virtute sanctitateque in exemplum praeluxerunt. Quot labores, quot itinera volentes et alacres susceperunt, Deo unice confisi, eiusque superno suffulti auxilio!

Unitatem cum Romana Sede et libertatem ab arbitrio Principum saecularium in rebus religionis ac sacrae disciplinae summe aestimantes, coenobia sua immediate solis Beati Petri Successoribus submiserunt; ad quos quidem non semel Romam peregrinantes advenerunt, ut suam eis abservantiam suumque amorem profiterentur. Decessores autem Nostri, firmam in Sanctis illis coenobiarchis fiduciam ponentes suam, saepenumero eorum sapientia, prudentia fidelique erga Christi Vicarium animo usi sunt, ut difficilia coepta graviaque munera ad felicem exitum perducerent. Neque praetermisere hi Sancti Antistites, quotiescumque

occurrebat opportunitas, vel necessitas, ad Imperatores augustos, ad Reges et ad Principes se conferre, ut sedatis discordiis pacem conciliarent, utque ab eis facultates impetrarent, quibus facilius atque expeditius possent una cum Benedictinis Sodalitatibus catholicam religionem propagare christianosque confirmare mores.

In eorum sacris aedibus, ac praesertim in Cluniacensis monasterii templo, ingenti mole exstructo ac magnifica exculto arte, officia liturgica tam digne et sancte peragebantur, ut Christifideles ultro ad laudem Dei et ad venerationem rerum supernarum traherentur. Ac praeterea eorum coenobia non modo litteris, liberalibus artibus, humanis divinisque disciplinis — in tanta fere omnium ignoratione — tutum patuere refugium, sed quasi fuere portus, ad quem undique concurrentes indigentium multitudines panem ac solacium quaererent.

Hoc autem peculiari modo in hisce caelitibus mirandum est: eos nempe, dum mortalem vitam agerent ac tot laboribus, negotiis, itineribus distinerentur, mentem tamen animumque continenter in Deo defixum habuisse, ad eumque semper, tamquam ad aeternum praemium aeternamque metam, se convertisse suaque omnia. Hinc procul dubio eorum oriebatur animi fortitudo, eorum virtus, eorumque indefessa navitas. Ipsi siquidem Apostoli gentium sententiam iure meritoque usurpare poterant: « Omnia possum in eo, qui me confortat » (*Philip.* IV, 13); atque illud: « Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo » (*II Cor.* 10, 4). Quare cum post exantlatos Ecclesiae divinaeque gloriae causa innumeros labores ad humanum exitum pervenissent, caelestia illa praecipere ac praegustare potuere gaudia, quibus sempiternum per aevum Christus Iesus eos erat cumulaturus. De utroque illud asseverari potest, quod pius hymnographus de S. Odilone cecinit: « Odilo non moritur, sed vitam morte recepit. – Regnat in aeternum gaudens se cernere Christum – quem coluit, docuit, quaesivit, glorificavit » (Iotsaldus: *Planctus de transitu Odilonis;* P. L. 142, col. 1044).

Hos igitur beatos caelites meditando reverendoque suspiciat haec nostra aetas, quae si hodie ad tam excelsum luminis gloriaeque verticem superba erigitur, multum profecto debet eorum silenti diligentique operae. In eos christiani omnes venerabundi intueantur, ab iisdemque illam addiscant sibi comparare virtutem sanctitudinemque, qua tantopere nostrum indiget saeculum. Eorum denique vitam peculiari modo inspiciant incliti Benedictini Ordinis sodales; eorumque egregia piaque facinora ita aemulentur, ut non modo ad humanas divinasque disciplinas provehendas, sed ad christianam potissimum morum renovationem summopere conferre queant.

Haec sunt, Venerabilis frater, vota quae facimus, dum haec saecularia sollemnia apud vos apparantur; eademque supplicibus precibus Deo efficienda commendamus. Caelestium interea munerum auspicem paternaeque benevolentiae Nostrae testem, cum tibi tuoque gregi, Venerabilis frater, tum iis omnibus, qui proximis celebrationibus intererunt, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VI mensis Iunii, anno MDCCCCXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

III

AD EM̃UM P. D. FRIDERICUM TIT. SANCTAE MARIAE DE VICTORIA S. R. E. PRESBYTERUM CARDINALEM TEDESCHINI, PATRIARCHALIS BASILICAE VATICANAE ARCHIPRESBYTERUM, SACRI CONSILII PETRIANAE FABRICAE ADSERVANDAE PRAEFECTUM EUMDEMQUE APOSTOLICUM DATARIUM, CONSECRATIONI ANNECIENSIS TEMPLI A VISITATIONE ADFUTURUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Anneciensis dioecesis eiusque primum praesertim a Visitatione Sanctae Mariae coenobium, in amoenissima variaque Sabaudia regione, insueta in praesens laetitia perfunditur. Quod enim iamdiu erat in votis, templum a Visitatione in honorem Sanctorum Francisci Salesii et Ioannae Franciscae Frémiot de Chantal, Ordinis sororum a Visitatione legiferorum parentum, anno MCMXXII praeclare inchoatum, post octo annos benedictione donatum, Romanica quidem arte affabre confectum, imposita post infandum nuper bellum extrema manu, in eo tandem est, ut sollemni Deo consecratione dicetur. Editus ipse situs, ubi illud apte est aedificatum, ex quo mirus quidam latusque patet prospectus in subiacentis urbis domos eiusque lacus oras blandissimas, in viridantium collium ac montium coronam, allicit iam per se oculos animosque hominum ad gloriam Dei eiusque opera laudibus extollenda. Nos autem Ipsi vidimus olim sacrarum aedium locum earumque augusta lineamenta marmoreasque columnas; sed scimus deinceps, praeter nitidas aras, plura accessisse ornamenta sive ex marmore aereque, sive ex opere musivo vitrisque fenestrarum pictis; ita ut idem templum videatur hodie dignum sanctis Ordinis a Visitatione Conditoribus, quorum corpora ibidem argenteis in arcis religiosissime asservantur. Iucundo igitur animo agnovimus te,

Dilecte Fili Noster, qui,Romana purpura decoratus, haud parva munerum auctoritate in Urbe atque in Civitate ipsa Vaticana praefulges, quique Ordinis sanctimonialium a Visitatione exstas Patronus, propediem ad Sabaudiam esse profecturum, ut sacris ritibus caeremoniisque praesideas, quae ad Anneciense templum a Visitatione consecrandum pertineant. Auspicato autem continget, ut sacra ista celebratio perficiatur die altero mensis Iulii, quo Visitatio Beatae Mariae Virginis ad Sanctam Elisabeth commemoratur. Hoc enim magnam affert spem, fore ut sorores a Visitatione, vestigiis suorum Conditorum fideliter inhaerentes, virtutes Mariae Virginis magis in dies imitentur, et fideles omnes, qui Anneciense templum sint ingressuri, Deipara quidem intercedente, spiritu Francisci Salesii et Ioannae de Chantal penitus repleti, cuncta se impetrasse laetentur. Quo interea per Nos sacra sollemnia utiliora populo christiano evadant, tibi ultro damus facultatem, ut, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam Caelestium denique donorum in auspicium, inque peculiaris Nostri amoris pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, sollerti Episcopo Anneciensi, eiusque gregi, cunctoque Ordini monialium a Visitatione Sanctae Mariae amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXIX mensis Iunii, in festo Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, anno MCMXXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

PIUS PP. XII

ALLOCUTIONES

I

Ad mulieres ab Actione catholica ex Italiae dioecesibus ob quadragesimum annum ab eorum Unione condita Romae coadunatas. *

Per quanto legittima sia la vostra letizia, dilette figlie, nel commemorare il primo quarantennio della vostra Unione, voi vi siete qui adunate intorno a Noi con disposizioni e pensieri anche più elevati. Voi avete voluto segnare una tappa nella vostra via o, come suol dirsi, « fare

* Habita die 24 Iulii mensis a. 1949.

il punto », volgere cioè uno sguardo al cammino percorso, considerare con occhio sicuro le circostanze, innanzi alle quali presentemente vi trovate; e ora attendete da Noi di conoscere quali doveri esse vi impongono e quali consigli siamo per darvi. In una parola, voi desiderate di stabilire oggi l'itinerario e il programma della vostra prossima tappa.

Nel corso di questi quarant'anni, voi siete avanzate coraggiosamente, ma anche il mondo ha camminato, e con una vertiginosa rapidità. Si tratta dunque in primo luogo di vedere se voi avete saputo affrettare il passo, per non lasciarvi superare e non rimanere inutilmente indietro. Ma ciò che più importa è di osservare se voi, abbastanza forti per non esservi lasciate trascinare dalla corsa del tempo, avete, al contrario, in qualche modo, sia pure modesto, contribuito a guidarla, a frenarla o ad accelerarla, in una parola, a regolarla per darle maggior fermezza e continuità.

Sì, il mondo ha camminato, ma Noi non intendiamo di parlare soltanto dei grandi avvenimenti che hanno segnato date memorabili nella sua storia, e specialmente delle due guerre mondiali, le quali — la seconda incomparabilmente più della prima —, hanno imposto anche alla donna italiana inauditi e sovrumani sacrifici. Noi abbiamo in vista soprattutto l'evoluzione compiuta in questo periodo di tempo nelle condizioni della vostra vita. Evoluzione che converrebbe piuttosto chiamare rivolgimento completo.

Quando nacque la vostra Unione, tale mutazione si era forse già in alcuni punti iniziata. Ora è compiuta. La donna italiana, e in primo luogo la giovane, è uscita dalla riservatezza e dal nascondimento della vita domestica ed è entrata largamente nei posti, negli uffici, nelle responsabilità e nei diritti, che prima erano propri esclusivamente dell'uomo. La donna italiana, e ciò torna a suo onore, non ha fatto a cuor leggiero questo suo ingresso nella vita pubblica della Nazione. Divenuta maggiorenne, indipendente e con eguali diritti, ella sta oggi alla pari dell'uomo nella economia e nel lavoro, nella scienza e nell'arte, nelle libere professioni, nei pubblici uffici e nella compartecipazione alle determinazioni politiche e amministrative dello Stato e dei Comuni.

Più volte già Noi abbiamo avuto occasione di esporre le conseguenze di questa trasformazione e di mettere in luce gli obblighi che ne derivano. Lo abbiamo fatto nelle circostanze più varie: adunanze di donne italiane, Congressi internazionali delle donne cattoliche; udienze alle giovani e ai novelli sposi. Noi abbiamo trattato questo soggetto, sia in generale, come secondo gli stati particolari della donna: operaie, impiegate, insegnanti, partecipanti alla vita politica. Che cosa dunque

potremmo Noi aggiungere su così gravi questioni, delle quali abbiamo tanto spesso discorso?

E nondimeno Ci sentiamo spinti a parlarne di nuovo a voi, Donne di Azione Cattolica, per raccomandarvi con rinnovato calore i bisogni della famiglia e della gioventù.

